Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35426
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

C·xij·kl' Apud castrum cassinum natale sancti benedicti abbatis / qui nobili genere ex prouincia nurcsie ortus / rome liberalibus studijs traditus a parentibus fuerat / relicta itaque domo / rebusque patrijs / soli deo placere desiderans / sancte conuersacionis habitu quesiuit / heremum peciit / et quandam speluncam artissimam repperit / et ibi tribus annis excepto romano quodam monacho incognitus remansit · Floruit autem sanctus benedictus anno domini quingentesimo tricesimo quarto.

D·xj·kl' Apud septimaniam ciuitatem biterris deposicio sancti afrodisij episcopi et confessoris · Hic a beato paulo narbonensi episcopo eidem urbi ordinatus antistes / fidei documentis preclarus quieuit in pace.

C·x·kl' In affrica sanctorum martirum uictoriani frumencij / et alterius frumencij / et duorum germanorum sanctorum persecucione wandalica sub honerico rege / pro fide christi inmanissimis supplicijs excruciati / egregio martirio consummati sunt / In antiochia sancti theodori presbiteri / Eodem die crucifixio domini nostri ihesu christi · sicut antiquiores dicunt ·